ANTONII BVCCAPADVLII DE PONTIFICE MAX. DECLARANDO.

AD AMPLISSIMOS S.R.E. CARDINALES.

ORATIO.

Habita in Basilica B. Petri VII. *Id. Septemb.*

ANNO MDXC.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, *Ex Officina Marcantonij Muretti.* MDXC.

ANTONII BVCCAPADVLII DE PONTIFICE MAX. DECLARANDO.

AD AMPLISSIMOS S.R.E. CARDINALES.

ORATIO.

Habita in Basilica B. Petri viii. Id. Septemb.

ANNO MDXC.

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Ex Typographia [illegible]. MDXC.

ANTONII BVCCAPADVLII DE PONTIFICE MAX. DECLARANDO.

Ad Ampliss. S. R. E. Cardd.

ORATIO.



SAEPE mecum ipse cogitãs miratus sum Patres Ampliss. quid causæ sit, cur cum cæteris in rebus, siue illæ constent natura, siue humana industria, atq; opera existant, contrariorum contraria sint consequentia, non idem quoque accidat in dicendi facultate? Nam si vt quidque obscurum maxime est, ita maxime difficile explicatu est; certe clarissimis in rebus explicatissima esse deberet oratio. Nunc autem experimur eam hærere, non minus in rebus apertissimis, quam in abditissimis. Credo, quia in his argumentis deficimur, in illis multitudine, & copia retardamur, ac pœne obruimur. In hac tamen communi vtrisque de rebus dicendi difficultate illud interest: Habet reconditarum, inuolutarumque rerum, quod ad earum natura fert explicatio magnam ingenij commendatio nem: in medio positarum patẽtiumq; exquisitis rationibus confirmatio, iustam tardi, ineptiq; hominis reprehensionẽ, quam ne is quidem posset effugere, qui vellet præclara aliqua de re, eademq; a communi intelligentia remota, apud eos dicere, quibus res illa esset perspecta, & cognita, per-

specta, & cognita perspectior multo quã huic ipsi, qui diceret. Hæc mihi verenda magnopere esset reprehensio Patres Amplifs. Quid enim facilius est quã videre, qualis Catholicæ Ecclesiæ exoptãdus sit Pontifex? qui sit rerũ status? quæ sint vestræ partes in deliberando, quid spectandũ, quid laborãdum vobis maxime sit? quã sint Catholici omnes metu suspensi, quæ sint eorum preces, quæ vota? Quid autẽ difficilius, quam tantis de rebus, pro earum dignitate differere? Quid ineptius, quam apud vos Patres differere? qui propter excellentem doctrinam, de rebus difficillimis, maximisq; verissime iudicatis, propter singularem prudentiã, quid quaque in re facto opus sit tenetis: propter eximiam pietatem, nullum in rebus optimis cuiusquam cohortationi locum relinquitis. Tardus igitur, ineptusq; fuissem, hoc dicendi munere suscipiendo, nisi iustam haberem excusationem necessitatis eorum voluntati obtemperandi, quibus negare nullo modo possem. Sed videndum mihi etiã; atq; etiam est, quid mei in parendo officij sit, ne qui recusando contumaciæ crimen vitare non potuissem, dicendo in hominis parum considerati reprehensionem incurram. Temperanda igitur mihi oratio est; ac tali quadam dicendi ratione vtendum; non vt hæc, quæ proposui capita persequar quo ad possim diserta, & copiosa oratione; sed vt exponam cur ea tantum indicem, leuiterq; attingam, ac pęne silentio prætercam. Sic enim & illorum voluntati inseruiam, qui me huc necessitatis impulerunt; & non minimam mei muneris, magnam autem, vt par est, loci huius amplitudinis rationẽ ducã. Versatur nunc vestra cura, ac diligentia, in declarando Pontifice Maximo, hoc est, in rẽ omnium maxima, omniq; ex parte, si vere volumus cogitare, tum vobis ad deliberandum, tum ei, quem declarabitis ad sustinendum longe difficillima. Solet autem propositæ, susceptæq; rei magnitudinis consideratio animum excitare, metumq; inijcere ne quid forte committatur, omittatur ue secus quam res ipsa exposcat. Constat porro Pontificẽ

Max.

Max. ſuſtinere munus Chriſti inſtitutione vetuſtiſſimum; dignitate ſummum; curatione nullis orbis terrarum regionibus circumſcriptum; ſtabilitate contra omnes machinas ſatanæ cæleſti præſidio munitum; diuturnitate nullis ſæculorum ætatibus interiturum; poteſtate Deo proximum: his autem omnibus de cauſis auguſtiſſimum, ſanctiſſimum, omniq; honore, & veneratione proſequendum. Non neceſſe habeo hęc, quæ paucis preſtrinxi dilatare; ipſi enim optime omnium noſtis, qualia, quantaque ſint, quam propemodum infinita. Qualem verò Pontificem à vobis Eccleſia requirat, perfacile eſt dicere vniuerſe Talē requirit, qualem res ipſa expoſcit, hoc eſt eum, qui tanto muneri ſuſtinēndo, gubernando, gerendo idoneus maxime ſit. Verum hęc vulgaris quædam, & adumbrata notitia eſt. Vos autem Patres perfectiſſimas quaſque Pōtificis virtutes ſpectare certum habemus: neq; coniectura aberrabimus ſi inter ea, quę vobis ſuggerit ſanctus Dei timor, & caritas, quæ ſine dubio maxima eſſe oportet, exiſtimabimus talia vos etiam cū veſtris animis cogitare. Eum maxime ſummo hoc loco, & munere dignum eſſe, maximeq; idoneum, cui Chriſti grex committatur, qui cum doctrina, prudentia, pietate excellat, virtutem illam in primis colat, quam ſummi, ſanctiſſimiq; viri cæterarum virtutū fundamentum, matrem, magiſtrā, cuſtodem appellant, humilitatē dico, qua vna ſtatuūt perfectam totius Chriſtianæ ſapientiæ normam contineri. Qui in hac ipſa virtute erecto, celſoq; animo ſit, vt magnā loci, munerisq; ſui primum ipſe rationē habeat, tum à cæteris haberi velit, ſic vt, quod ait B. Gregorius, neque ſit humilitas timida, neq; erectio ſuperba. Qui cogitet quam non modo non appetendus ſit Pontificatus; ſed omni etiā conatu fugiendus: cum intelligat quanta res ſit in maximis fluctibus, ac procellis gubernare, neque ſe tempeſtatibus abripi ſinere, ſed contra niti, ac velis remisq; contendere, curſumq; recta ad portum tenere: quam verendum ſibi illud ſit, quod interdum quærebatur Pontifex Innocentius.

Pſal. 18.

B. Greg. epiſt. . . . 165.

B. Chryſoſt. in Matt. ho. 15. to. 2.
B. Bernard. to. 1. in nat. dom.
B. Greg. lib. 23. mor. c. 7.
B. Leo. ſer. 7. in Epiph.
B. Gregor. Lib. 4. epiſt. c. 80.

Innocen. 3. epist. 178. ad Abb1. & cōuen. Cistercien. Psal. 68. tius. Veni in altitudinem maris; & tempestas demersit me quam difficile sit in tanta rerum procuratione, tanta prædi tum potestate, tam multa necessario alijs mandātem, alijs tribuentem, alijs negantem, omnia Dei voluntatis glorięq; adhibita ratione administrare, eo cuncta dirigere; id vnum spectare, nūquam inde oculos deijcere: quātopere infinita illa curatione, Ecclesiarumq; omnium solicitudine distrahatur animus ab illa voluptate, qua interdum fruitur, dum B. Greg. lib. 5. epist. 5. omnibus curis solutus cœlestes, diuinasq; res contemplatur: quàm optabilior sit vita priuata, quam hæc tam multis molestijs referta: quàm fallantur qui in Pontificatu quietem, & tranquillitatem quærunt; cum oporteat Pontificem B. Greg. episto. lib. 6. c. 169. vnum pro omnibus vigilare, & laborare. Qui item cogitet quanta sibi sit Christi pauperum cura suscipienda. Hęc est enim vera gloria, non imperitæ multitudinis sermonibus, sed perpetuis, vt sapiens ille ait Ecclesiæ sanctorum laudi-Eccle. 31. bus celebrata, atq; in Deo fixa; stabilita sunt, inquit, bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorū. Qui igitur statuat, Christi pauperes complectendos sibi esse, tum misericordia, tū benignitate, quod fecisse olim Gregorium illum magnum legimus, proximeq; alterum facientem vidimus; O nostrum Gregorium egentium patrem, vtinam tui simili perfruamur. Qui denique præclaras quasdam alias, magni illius virtutes, quas hic noster etiam coluit, imitetur; quas vt ille multas vno facto, sic ego breuissima narratione comprehendam: Miserat B. Greg. ep. lib. 1. c. 64. ei nescio quid muneris Messana eius ciuitatis Episcopus, scripseratq; vt conijci poteſt, se id mittere Romano Pontifici vetere Ecclesiæ suæ consuetudine. Noluit Gregorius, vt erat vir pari humanitate ac sanctitate præditus reijcere, ne quid forte Episcopus molestiæ caperet, quasi parum gratum Pontifici munus misisset. Quid ergo? accepit ille, nec multo post vendidit, prætiumque remisit cum epistola in hanc sententiam. Se eas consuetudines quæ essent Ecclesijs ad ferendum graues, quantum quidem ad suas ratio-

tio-

tiones attineret, remittere. Si quid clericis tribui mos esset, cum morem manere velle; sibi munera ab eo mitti, qui a se expectare deberet, æquum non esse. Ne quid amplius mitteret prohibere. Sic ille, vos suo quamque rem momento ponderate. Hæc de Pontificis virtutibus à me breuiter collecta, aliaque per multa in hoc genere a Sanctis Patribus fuse, diserteque tractata, sæpe uos ex ipsis fontibus hausisse, magnaque cum voluptate nunc degustasse certum habeo Patres amplissimi, quamobrem illa animi vestri causa magis, quam quod esse necesse arbitrarer, attingenda existimaui. Dicerem nunc vniuerse de Catholicæ Ecclesiæ statu, nisi omnes videremus, tam multis catholicis olim prouinciis, partim impiorum vi, atque armis oppressis, partim sponte sua, o summam miseriam, sponte sua, dum audiunt voces alienorum, quas non secus, ac certissimas pestes vitare debuissent, deserta Ecclesia perditis quanta iactura sit facta. quantopere de his omnibus recuperandis, reuocandis, sanandis, deq. Christi nomine, & gloria quam latissime propaganda laborandum sit: qui motus nuper sint excitati, quam ferueant, quam graui in periculo, quam præsenti res sint, quam multa sint, cum in cæteris Ecclesiç locis, tum in hac ipsa vrbe, constituenda, corrigenda, tollenda quantum ad hæc omnia præsidii situm sit in vnius Pontificis sapientia, & sanctitate tantum nimirum, ut hoc vno præsidio sublato, spes melius aliquando fore iam reliqua nulla sit. Hinc facile apparet, quod tertio dicendi loco positum erat, quæ sint uestræ partes tam graui in re, tam necessaria, tam diuina, quantopere debeatis hoc vnum dies, noctesque agere, huc cogitationem industriamque omnem conferre, hoc omnibus prudentiæ, diligentiæq; vestræ neruis contendere, ut optimum Ecclesiæ Pontificem detis. Impudentissimus sim si vos commonendos, aut cohortandos censeam, quos certum habemus nihil aliud velle, & conari. Sed non dissimulabo, quid maxime pertimescamus, Facit enim vestra singularis hu-

ma-

manitas,in meque attente audiendo benignitas, ut audeā paulo liberius exponere, quid cum in omni de republica deliberatione, tum in hac maxime, omni studio sit cauenpum, est enim, quod cauendum censeo, rectis consiliis maxime aduersarinm. Quid ergo illud est? Ne quis forte in deliberando adhibeat in consilium suarum rationum cogitationem. Nihil enim potest fieri peruersius, nihil deterius quam cum de rebus publicis deliberatur priuatæ vtilitatis calculis subductis, nihil ueri, falsique iudicium conturbat magis, Vt, etiam si quis maxime cupiat recte iudicare, tamen hac tabe correptus, putet rectum id esse, quod est re sua esse intelligat, quod certe ea liber nunquam putaret. Oportet in re publica gubernanda, priuatas cuiusque rationes e communibus pendere, non e priuatis communes. Hoc uero peruerso ordine, scitis quid interdum acciderit æquitissimo Dei iudicio ut in quo quisque maxime rerum suarum spem locatam habuisset, cum ea adductus spe, se se ad illius partes adiunxisset, atq; omni cōtentione pugnasset, & peruicisset eo iā ad gubernacula admoto, omni illa de spe decideret, sentiretq; se neque publicis, ut oportuit, neq. suis, quod minime debuit. priuatis rationibus cōsuluisse. Hoc vnum modo absit, reliqua ex sententia cōsequētur. Ab erit autem. Vos enim in tanto rerum, ac temporum motu, & conuersione, in tanta Ecclesiasticæ disciplinæ omnibus in locis perturbatione, ac pene interitu, in tanta morū vbique deprauatione, vestra præstanti pietate dignam, atque hoc rerum statu per necessariam cogitationem suscipietis. Ardet bello Gallia, hoc est optima Christianæ reipublicæ pars. Obsidetur à Duce Sabaudiæ Catholicæ religionis propugnatore, atq. assertore inuicto Geneua, hoc est teterrima omnis impietatis sentina. Facta est alienis vectigalis, multis ante calamitatibus afflicta prouincia Auenionensis vetus sedis Apostolicæ patrimonium. Cæteras Christianæ reipublicæ necessitates, malaq. omnia nominatim persequi, & exaggerare infinitum esset, minimeq. necessarium,

rium,vos enim ea cogitatione perspicitis,tacitoq. sensu cō mouemini. His necessitatibus auxilium ferendum, his vulneribus,his malis,tam multis,tam grauibus,tam exulceratis medicina a Pontifice est adhibenda. Vestræ igitur nunc fidei,sapientiæ,potestati, in declarando Pontifice cō missum est quidquid potest dignitatis,salutisque expectari. Vos Patres contendetis, ut Ecclesiæ rebus prospiciatis,nos expectatione suspensi erimus. vtrique autem necessario metu anxij. Etenim maximarum rerum deliberatio, maximas curas,metusque afferat necesse est tum iis, quorum consilio,& prudentia decernuntur: cum cæteris omnibus,ad quos eæ res pertinere possunt. Quid ergo nos potissimum angimur? Cogimur eadem illa iterare, vos timori nostro ignoscite. Hoc vnum inquam pertimescimus, ne quid satan perpetuus Christi, Ecclesiæq. hostis turbet: neve obstet quominus eum Pontificem habeamus, quo magnopere indigemus. Id vero efficeret,si posset vllum apud aliquem vestrum, locum inuenire priuatis rationibus consulendi. Scit enim hostis teterrimus inimicum hoc Deo cō silium esse, a carnis nimirum, quæ Deo inimica est prudentia profectum,efficereque vt frustra,illius opem, quod nūc fecimus, imploremus. Quid enim in sacro sancto,quod nūc per actum est mysterio precati sumus? Vobis autem Patres in ista tam graui deliberatione precabamur: Veni sancte Spiritus, reple tuorum cordu fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Videtis certe aliud esse amoris tui, aliud cuiusque sui, Res autem suas priuatas laborare,eoq; consilia referre, est hominis seipsum diligentis. Deus caritas est, requirit igitur in nobis eam in primis virtutē, qua nos ei proxime ad similitudinem accedimus, nostram, scilicet, caritatem. Caritas autem,non æmulatur,non est ambitiosa,non quærit, quæ sua sunt. Immo vero, quod Apostolus non suadebat modo,sed etiam faciebat,req; ipsa comprobabat anteponit suis aliena, modo inde crescat Dei gloria. Quanquam, quæ potest esse ista, in constituendo Ec-

Rom. 8.

1. Ioan. 4.
B Chrysost. in comm. S. Paul. to. 3.
1. Cor. 13.
Philipp. 1.
B. Ambr. in eum locum.

clesiæ bono suarum rerum ab alienis distinctio? Quo de re totius Ecclesiæ est, idem quoque è re cuiusque maxime est. Cæteris in rebus liceat ista secernere, in declarando pastore, & principe nihil potest esse vtilius singulis, quam quod vtile est vniuersis. Conabitur satan contraria omnia suadere. Sed speramus fore, vt quo quisque sentiet magis tales sibi cogitationes a callidissimo hoste immitti, aliis scilicet rationibus contineri priuatas vtilitates, alijs publicas, quo grauius apertiusq. se his cogitationibus peti intelliget, eo ipse se colligat magis, eoque acrius in Christi

2. Cor. 3. causam incumbat, diuinamque opem, (quid enim ab ea deserti possumus recte, aut agere, aut cogitare?) imploret. Implorabimus nos quoque tum quotidianis supplicationibus, tum priuatis etiam precibus huius Sanctæ Basilicæ sacerdotes, cæterique omnes, qui astant, que prope, qui lõge absunt, omnium ordinum pietate, & sanctitate præstantes viri, per hos omnes dies, quibus vos collecti, inclusique hac vna in re occupati eritis, vestramque virtutem nostris vocis prosequemur. Ad erit vestris conatibus, piorumq. omnium precibus Christus, qui si forte erit nobis iratus, (agnoscimus enim omnes nostra crimina, veremurque il-

Ose. 13. lud Prophetæ, Dabo tibi regem iu furore meo, & auferam in indignatione mea, dat enim iratus Deus malum principem, iratus item aufert bonum,) si forte igitur erit nobis iratus Christus Dominus, & Deus noster, aderit Maria, mater, & virgo sanctissima, quæ cum conspexit Ecclesiæ suæ, cuius causa nunc maxime agitur, amore comprehensum, cæsum, dilaniatum, cruci clauis affixum, extinctum, nec sic etiam satiata inimicorum crudelitate, transuerberatum, quem è cruce depositum cõplexa, in sinus, gremioq. (quod illa, quam cernimus excellentis artificis imago nos admonet) collegit, cuius vulnera demirata, deosculataq. lacrymis compleuit, abluit. Hæc filium orabit, obsecrabitque per eos omnes quos ille pertulit cruciatus, perq. eum doloris sensum, quem non minorem ipsa animo, quam ille to-

to